

T18

De rerum natura III, vv. 1024-1094
Galleria dei grandi trapassati

- Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
1025 “Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit,
 qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.
 Inde alii multi reges rerumque potentes
 occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
 Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
1030 stravit iterque dedit legionibus ire per altum
 ac pedibus salsas docuit super ire lucunas
 et contemptis equis insultans murmura ponti,
 lumine adempto animam moribundo corpore fudit.
 Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror,
1035 ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.
 Adde repertores doctrinarum atque leporum,
 adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
 sceptra potitus eadem aliis sopitus quietest.
 Denique Democritum postquam matura vetustas
1040 admonuit memores motus languescere mentis,
 sponte sua leto caput obvius optulit ipse.
 Ipse Epicurus obit decurso lumine vitae,
 qui genus humanum ingenio superavit et omnis
 restinxit stellas exortus ut aetherius sol.
1045 Tu vero dubitabis et indignabere obire?
 Mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti,
 qui somno partem maiorem conteris aevi,
 et vigilans stertis nec somnia cernere cessas
 sollicitamque geris cassa formidine mentem
1050 nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum
 ebrius urgeris multis miser undique curis
 atque animi incerto fluitans errore vagaris”.
 Si possent homines, proinde ac sentire videntur
 pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
1055 e quibus id fiat causis quoque noscere et unde
 tanta mali tamquam moles in pectore constet,
 haut ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus
 quid sibi quisque velit nescire et quaerere semper,
 commutare locum, quasi onus deponere possit.
1060 Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
 esse domi quem pertaesumst, subitoque <revertit>,
 quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
 Currit agens mannos ad villam praecipitanter
 auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans;
1065 oscitat extemplo, tetigit cum limina villaे,
 aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,

- aut etiam properans urbem petit atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit, at quem scilicet, ut fit,
effugere haut potis est: ingratis haeret et odit
1070 propterea, morbi quia causam non tenet aeger;
quam bene si videat, iam rebus quisque relictis
naturam primum studeat cognoscere rerum,
temporis aeterni quoniam, non unius horae,
ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
1075 aetas, post mortem quae restat cumque, manenda.
Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis
quae mala nos subigit vitai tanta cupido?
Certa quidem finis vitae mortalibus adstat
nec devitari letum pote, quin obeamus.
1080 Praeterea versamur ibidem atque insumus usque
nec nova vivendo procuditur ulla voluptas;
sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
cetera; post aliud, cum contigit illud, avemus
et sitis aqua tenet vitai semper hiantis.
1085 Posteraque in dubiost fortunam quam vehat aetas,
quidve ferat nobis casus quive exitus instet.
Nec prorsum vitam ducendo demimus hilum
tempore de mortis nec delibare valemus,
quo minus esse diu possimus forte perempti.
1090 Proinde licet quot vis vivendo condere saecla,
mors aeterna tamen nihilo minus illa manebit,
nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
lumine qui finem vitai fecit, et ille,
mensibus atque annis qui multis occidit ante.